



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Alexandro VII. Ad Clementem X.

**Luxemburgi, MDCCXLII.**

LVI. Nova erectio Collegii Apostolici minorum Pœnitentiariorum Basilicæ  
Principis Apostolorum de Urbe, cum nonnullis ordinationibus pro ejusdem  
Collegii gubernio, & officii eorundem Pœnitentiariorum ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74833)

†  
† Ego Hieronymus tit. S. Mariæ Tranſſyberim  
Presb. Card. Columna.  
† Ego Jo. Baptiſta tit. S. Petri ad Vincula Presb.  
Card. Pallottus.  
† Ego Franc. M. Baſilicæ SS. XII. Apoſtolorum  
Presb. Card. Brancatius.  
† Ego Uldericus tit. S. Anaſtaſiæ Presb. Cardin.  
Carpineus.  
† Ego Marcus Ant. tit. S. Mariæ de Pace Presb.  
Card. Franciottus.  
†  
† Ego Fr. Vincentius tit. S. Clementis Presb.  
Card. de Florentiola.  
† Ego Julius tit. S. Prificæ Presb. Card. Gabriellius.  
† Ego Cæſar tit. SS. quatuor Coronatorum Pres-  
byter Card. Facchenettus.  
†  
† Ego Angelus tit. SS. Quirici, & Julitiæ Presb.  
Card. Georius.  
† Ego Nicolaus S. Mariæ Angelorum Presbyter  
Card. Ludoviſius.  
† Ego Federicus tit. S. Martini in Montibus Presb.  
Card. Sfortia.  
†  
†  
†  
† Ego Aloyſius tit. S. Alexii Presbyter Cardinalis  
Homodeus.  
† Ego Jacobus tit. S. Mariæ Tranſpont. Presbyter  
Card. Corradus.  
†  
† Ego Marcellus tit. S. Stephani in Monte Cælio  
Presb. Card. Santacrucius.  
† Ego B. tit. SS. Nerei, & Archillei Presb. Card.  
Aldobrandinus.  
† Ego Jo. Baptiſta Spada tit. S. Suſannæ Presbyt.  
Card. S. Suſannæ nuncupatus.  
† Ego Franciſcus tit. S. Mariæ in Via Presb. Car-  
dinalis Albitius.  
† Ego F. tit. S. Mariæ de Populo Presbyter Card.  
Chiſius.  
†  
†  
† Ego Julius tit. Sancti Xifti Presbyter Cardina-  
lis Roſpiglioſius.  
† Ego Nicolaus tit. S. Eufeſbii Presb. Cardinalis  
à Balneo.  
† Ego F. tit. S. Jo. ante Portam Latinam Presb.  
Card. Paulutius.  
† Ego Virginius S. M. in Via lata Diaconus Card.  
Urſinus.  
† Ego Vincentius S. Eufachii Diaconus Cardin.  
Coſtagutus.  
† Ego Paulus Aemilius S. Mariæ Coſmedin Dia-  
conus Card. Rondininus.  
† Ego Benediſtus SS. Coſmæ, & Damiani Diac.  
Card. Odeſcalcus.  
† Ego Laurentius S. Angeli in foro Piſcium Diac.  
Card. Raggius.  
†  
†

† Ego Carolus Barberinus Diaconus Cardinalis  
S. Cæſarii.

† Ego Decius S. Adriani Diaconus Cardinalis Az-  
zolinus.

Novæ erecſio Collegii Apoſtolicæ minorum Pœ-  
nitentiariorum Baſilicæ Principis Apoſtolorum  
de Urbe, cum nonnullis ordinationibus pro  
ejuſdem Collegii gubernio, & officii eorum-  
dem Pœnitentiariorum exercitio.

## ALEXANDER PAPA VII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

**I**N Apoſtolicæ dignitatis ſaſtigio, meritis licet  
imparibus, inſcrutabili divina providentiæ ar-  
cano collocati, ad ea, per quæ Chriſti fidelium cu-  
ræ noſtræ cœlitus commiſſorum animarum ſaluti  
conſulitur, jugis vigilantia ſtudiis intendimus,  
illaque provide, quantum Nobis ex alto conce-  
ditur, diſponere ſatagimus, prout matura confi-  
deratione prævia, conſpicimus in Domino ſalu-  
briter expedire.

§. 1. Cum itaque, ſicut accepimus, dudum  
fel. rec. Pius Papa V. Prædeceſſor Noſter certis  
rationabilibus cauſis motus, pro ſalutari refor-  
matione Collegii minorum Pœnitentiariorum Ba-  
ſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe minores  
Pœnitentiarios, qui tum erant, ab eorum Pœ-  
nitentiariæ minores officio, & exercitio penitus,  
& omninò amoverit, & in eorum locum ad hu-  
juſmodi munus, officium, & exercitium mino-  
rum Pœnitentiariorum aliquot Presbyteros Re-  
gulares Societatis JESU ſubſtituerit, & ſubrogæ-  
verit, illiſque domum, & reditus pro eorum ha-  
bitatione, & ſuſtentatione aſſignaverit, & alia  
circa eorum deputationem, officiique eis deman-  
dati exercitium, ac ipſorum, & eorum Collegii  
ſtatum conſtituerit, & ordinaverit; nec tamen  
ſuper his ob ejuſdem Pii Prædeceſſoris obitum  
Litteræ Apoſtolicæ fuerint expedite.

§. 2. Hinc eſt, quod Nos ea, quæ memora-  
tus Pius Prædeceſſor pro animarum ſalute, & ſpi-  
rituali conſolatione Chriſti fidelium, qui Omni-  
potentem Deum glorificandi, ac Beatos ejus A-  
poſtolos venerandi, opportunaque ſpiritualibus,  
temporalibusque neceſſitatibus ſuis remedia, &  
auxilia eorundem Beatorum Apoſtolorum inter-  
ceſſione impetrandi ſtudio ad Baſilicam prædi-  
ctam ex omnibus mundi partibus confluunt, in  
præmiſſis laudabili zelo, & pietate inſtituit, &  
cœpit conſtabilire, & perficere, & aliàs oppor-  
tune deſuper providere cupientes, Motu pro-  
prio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatio-  
ne Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitu-  
dine erectionem, & inſtitutionem prædicti Col-  
legii minorum Pœnitentiariorum dicte Baſilicæ  
Principis Apoſtolorum tenore præſentium con-  
firmamus, & approbamus; ipſumque Collegium  
de novo perpetuò erigimus, & inſtituimus.

§. 3. Ac pro eorundem minorum Pœnitenti-  
ariorum habitatione domum in Civitate noſtra  
Leonina, ſeu ( ut vocant ) Burgo prope Baſilicam  
hujusmodi poſitam, & per illos hætenus inhabi-  
tari ſolitam cum omnibus, & ſingulis ejus mem-  
bris, pertinentiis, & juribus, ſicut dicti mino-

LVI.

Edita A. D.  
1659.

Exordium.

Cauſa Con-  
ſtitutionis.Colleg.  
minorum  
Pœnitenti-  
ariorum de-  
nuo erigit.Habitatio-  
nem & re-  
ditus aſſi-  
gnat.

res

res Pœnitentiarii illis ad præfens fruuntur, concedimus, & assignamus, & casu quo eadem domus tota, vel ejus pars destruat, seu in alios usus convertatur, aliam domum eis habitacionis causa à Nobis, seu Romanis Pontificibus Successoribus Nostri pro tempore existentibus assignandam; pro ipsorum verò minorum Pœnitentiariorum sustentatione, & Collegii hujusmodi dote de pecuniis elemosynarum, quæ ex dispensationum matrimonialium expeditionibus proveniant, & penes Montem Pietatis de eadem Urbe in subsidium pauperum, & alia opera pia erogandæ deponi solent, annua mille scuta monetæ Romanæ, nempe singulis mensibus octuaginta tria scuta, & triginta duos bajocchos cum dimidio similis bajocchi ejusdem monetæ in locum octuaginta scutorum auri iisdem minoribus Pœnitentiariis pridem assignatorum, quæ illis à Camera Apostolica præstabantur: præterea dimidium Julium dictæ monetæ pro singulis Litteris Apostolicis, quæ super dispensationibus matrimonialibus in tertio, vel in quarto gradu per officium Nostri minoris gratiæ nuncupatum sub plumbo expediuntur, & insuper tria loca cum tertia parte similis loci Montis fidei, & alia novem loca Montis Salis secundæ erectionis de Urbe prædictæ, & vineam extra mœnia Urbis intra suos notissimos fines sitam à prædictis Modernis Pœnitentiariis acquisita, nec non pensiones ex locatione membrorum domus prædictæ locari solitorum provenientes, cum solitis donativis salis, ceræ, ac in electione Romani Pontificis, & aliis hæcenus eis fieri consuetis, per ipsos minores Pœnitentiarios percipienda, exigenda, levanda, ac in suos, & dicti Collegii usus, & necessitates convertenda eisdem Collegio & minoribus Pœnitentiariis itidem perpetuo assignamus.

Const. Apoft. nominari præcipit.

§. 4. Ad hæc dictum Collegium minorum Pœnitentiariorum à Nobis de novo, sicut præmittitur erectum, & institutum, Collegium Apostolicum minorum Pœnitentiariorum esse, ac perpetuo fore, & vocari debere, nec illius statum, aut denominationem quomodolibet immutari, aut alterari unquam posse statuimus, & decernimus, ipsamque Collegium ex nunc sub immediata B. Petri, ac nostræ, & Romanorum Pontificum Successorum Nostrorum, Sedisque Apostolicæ protectione suscipimus.

Regularibus Soc. JESU.

§. 5. Præterea idem Collegium Apostolicum dilectis filiis Presbyteris Regularibus prædictæ Societatis JESU pariter perpetuo concedimus, hæc tamen lege, ut eadem Societas in Collegio hujusmodi tredecim ipsius Societatis Presbyteros regulares, comprehenso in illis d. Collegii Rectore, qui omnes, & singuli ministerium minorum Pœnitentiariorum in memorata Basilica sedulo exercere teneantur, & ex quibus duo pro Italica, duo pro Gallica, duo pro Hispanica, & Lusitana, unus pro Germanica, unus pro Hungarica, unus pro Flandrica, unus pro Polonica, unus pro Anglica, unus pro Græca, & unus pro Illyrica nationibus, seu linguis minores Pœnitentiarii respectivè deputentur; Ac insuper unum, quatenus necessarius videatur dilecto filio Præposito Generali ejusdem Societatis, qui pro ministro serviat, & ad mensam legat, nec non quatuor adjutores laicos dictæ Societatis, seu eos, qui eidem Præposito Generali servitiis Presbyterorum regularium Collegii hujusmodi necessarii videbuntur perpetuo habere, & manutenere debeat, & teneatur. Declarantes, & decernentes, quod unusquisque illorum, qui ex prædictis Presbyteris regularibus pro supra expressis nationibus, seu linguis minores Pœnitentiarii respectivè deputabuntur, ex illa natione, pro qua deputabitur, verè, & realiter esse, ipsiusque nationis idioma optimè callere debeat,

& quod illi, qui in regionibus earundem nationum respectivè nati, & educati non sint, sub quocumque prætextu, etiam si idiomatis nationis, pro qua deputari peritissimi forent, ad minorum Pœnitentiariorum hujusmodi officia assumi non possint. Quod si propter mortem, infirmitatem, remotionem, aliudve quodvis impedimentum alicujus ex prædictis minoribus Pœnitentiariis pro tempore deputatis opportuerit alium in ejus locum ad exercitium officii minoris Pœnitentiarii tantisper subrogari, eo casu alterum ejusdem cum illo nationis, si haberi idoneus possit, sin minus, alium alterius quidem nationis, sed qui idiomatis nationis ex qua defunctus, infirmus, remotus, vel aliàs impeditus fuerit, peritus existat, substitui volumus: ita tamen, ut sic substituendus ante omnia (nisi aliter ob urgentem necessitatem majori Pœnitentiario nunc, & pro tempore existentis visum fuerit) prævio examine in Signatura Pœnitentiariæ Apostolicæ approbetur, & per modum provisionis pro eo tempore dumtaxat, quo durabit infirmitas, vel impedimentum infirmi, vel impediti, seu donec defuncto, vel remoto successor fuerit constitutus, deputetur, & subrogetur.

§. 6. Porro electionem Rectoris, cæterorumque minorum Pœnitentiariorum prædicti Collegii Apostolici nunc, & pro tempore existentis Præposito Gen. memoratæ Societatis tribuimus.

Electio Rectoris, & Pœnitentiariorum ad Soc. Generalem spectat.

§. 7. Statuentes ut ab eodem Præposito Generali pro tempore electi non ante ad exercitium officii minorum Pœnitentiariorum hujusmodi admittantur, quam circa materias ad idem officium spectantes in dicta Signatura Pœnitentiariæ juxta dispositionem Litterarum rec. mem. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris pariter nostri in simili forma Brevis die tertia Septembris 1592. expeditarum examinati, & approbati fuerint. Cæterum illi, qui semel in eadem Signatura Pœnitentiariæ, sicut præmittitur examinati, & approbati fuerint, examini denuò sese subjicere non tenebuntur, nisi Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existentis ex aliqua causa particulari secus videatur.

Examinis modus.

§. 8. Si autem dilectus filius noster Nicolaus tituli S. Mariæ Angelorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Ludoviscus nuncupatus nunc, & pro tempore existens major Pœnitentiarius alicquem à prædicto Præposito Generali ad officium minoris Pœnitentiarii electum minime duxerit admittendum; poterit ipse Nicolaus Cardinalis nunc, & pro tempore existens major Pœnitentiarius illius examinationem tantisper suspendere, donec facta quam citius nobis, & pro tempore existentis Romano Pontifici ejus rei relatione, quid fieri debeat, fuerit ordinatum.

Major Pœnitentiarius quomodo possit elect. suspendere.

§. 9. Qui verò ad exercitium officii minoris Pœnitentiarii hujusmodi semel admissi fuerint, ab eodem officio dimoveri, vel dimitti, aut ex Collegio prædicto discedere non poterunt absque licentia d. Cardinalis majoris Pœnitentiarii nunc, & pro tempore existentis, qui pro data sibi à Domino prudentia, licentiam hujusmodi instantè Præposito Generali prædicto negare non debet, nisi ex justis causis, quas eo casu, prout etiam quoties eidem summo Pœnitentiario videretur aliquis ex prædictis Pœnitentiariis dissentiente eodem Præposito Generali removendus, Nobis, seu pro tempore existentis Romano Pontifici referet, Apostolica mandata hac in re fideliter exequutus.

Semel admissi non admoveantur sine majoris Pœnitentiarii facultate.

§. 10. Volumus autem ut memorati minores Pœnitentiarii in Basilica prædicta resideant, ibique in sua quisque nationis confessionalibus assistant; & præsidè sint, ac quorumcumque Christi

Residentiam in confessionalibus Pœnitentiariis præscribit.

fidelium, scilicet propriæ quisque nationis primum, & his non extantibus, aliorum etiam quando casus contigerit, quorum idioma calleant, confessiones sacramentales diligenter audiant bis in die, nempe mane ab initio matutini usque ad finem officiorum divinarum ante-meridianorum, & post meridiem ab initio vespertinarum per duas horas continuas, idque omnes singulis majoris hebdomadæ, & intra octavam Paschatis Resurrectionis Dominicæ diebus; nec non in Nativitatis Domini, Pentecostes, singulis B. Mariæ Virginis, ac Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & aliorum Apostolorum, cæterisque omnibus, & singulis festis anni diebus, præsertim de præcepto, vigiliis etiam consuetis, præterea singulis diebus Veneris, Mensis Martii nec non Jubileorum, & Stationum in eadem Basilica existentium temporibus, ac insuper quocumque id eis ex aliqua causa particulari à Superioribus injunctum fuerit, aut charitas Pœnitentiariorum suadebit, aut necessitas pœnitentium postulabit, inviolabiliter observent; In cæteris verò feriabilibus anni diebus id saltem pro tertia eorundem Pœnitentiariorum parte sedulo adimpleant. Ab his tamen Rectorem prædicti Collegii excipimus, qui cum ejus officii causa multoties legitime sit impeditus prædicto excipiendarum confessionum muneri, prout secundum propriam conscientiam poterit, satisfaciat.

Pœnit. quando sub-  
jiciuntur ma-  
jori Pœni-  
tentiario, &  
quando Ge-  
nerali.

§. 11. Præterea prædictos Rectorem, & minores Pœnitentiariorum in omnibus quidem illis, quæ Pœnitentiarii officium concernunt, jurisdictioni, visitationi, & coercitioni memorati Nicolai Cardinalis nunc, & pro tempore existentis majoris Pœnitentiarii subiectos esse debere decernimus, adeò ut in gravioribus, non nisi facto prius verbo Nobiscum, & cum Successoribus Nostri, contra eos procedat: In iis verò, quæ ad disciplinam regularem, regulæ observantiam, constitutiones, & instituta Societatis prædictæ, ac æconomiam, & gubernium rei familiaris pertinent, iidem Rector & minores Pœnitentiarii cum universa eorum familia memorato Præposito Generali Societatis Jesu immediate subiacebunt, reservata tamen semper Superioritate Visitationi Apostolicæ, cui ad Nostrium pro tempore existentis Romani Pontificis nutum subesse, ac peculiare redituum d. Collegii rationes reddere debent.

Facultates  
Pœnitentia-  
riorum.

§. 12. Postremò abrogatis in primis facultatibus omnibus minoribus Pœnitentiariis à Prædecessoribus Nostri hæcenus concessis, eisdem minoribus Pœnitent. quamdiù in Collegio manserint, & officium minoris Pœnitentiarii exercuerint dumtaxat omnes, & singulas facultates pro foro conscientie in particulari tabella proprio d. Nicolai nunc, & pro tempore majoris Pœnitentiarii caractere firmata, & ejusdem sigillo munita jussu Nostro descriptas, ac in libris tam Pœnitentiarii majoris, quam Collegii dictorum Presbyterorum registrandas, & ulterius in aula ejusdem Collegii palam exponendas concedimus, & impartimur; easque motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus approbamus, & confirmamus.

Exemptio-  
nes & immu-  
nitates pro  
victu & ve-  
stitiu.

§. 13. Necnon omnia, & singula privilegia, & gratias, indulta, honores, prærogativas, ac tam quoad ipsorum minorum Pœnitentiariorum personas, quam res pro eorum victu, vestitu, suppellestilibus, & libris, toraque ipsorum familia necessarias, à contributionibus pro viarum publicarum refectione, cæterisque oneribus publicis, & aliis rebus quibusvis immunitates, & exemptiones, ac libertates quascumque Pœnitentiariis minoris gratiæ eorum antecessoribus hæcenus concessas, & concessas, & quibus moderni minores Pœnitentiarii, & Collegium prædictum ad præsens fruuntur, potiuntur, & gaudent, motu, scientia, deliberatione, potesta-

tis plenitudine, & tenore prædictis concedimus, & impartimur.

§. 14. Decernentes pariter easdem præsentis Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod prædicti, & alii quilibet cujusvis gradus, ordinis, dignitatis, status, & conditionis existant, etiam si Cardinalatus honore fulgeant, aut aliàs speciali, & individua mentione digni sint, in præmissis quomodolibet interesse habentes, seu habere prætendentes illis non consenserint, aut ad præmissa vocati, & auditi, & causæ propter quas emanarunt, adductæ, verificatæ, vel justificatæ non fuerint, vel ex alia quacumque quantumvis pia, legitima, juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in Corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis Nostre, vel interesse habentium consensus, aliove quantumvis magno, & substantiali, ac inexcogitabili defectu notari, impugnari, restringi, modificari, infringi, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas apertionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quocumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel etiam motu simili concessio quempiam in judicio, vel extra illud uri, seu se juvare posse; neque ipsas præsentis sub quibusvis similibus, vel dissimilibus, dispositionum, & gratiarum revocationibus, restrictionibus, limitationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per Nos, & Romanos Pontifices Successores Nostros, Sedemque prædictam quæcumque faciendis unquam comprehendendi, aut comprehensas censerent, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, & plenarie reintegratas, ac etiam sub posteriori data per eos, ad quos pro tempore spectabit, eligenda de novo concessas, firmasque, validas, efficaces existere, & perpetuò fore, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab illis, ad quos spectat, & quæcumque spectabit respectivè inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, nec non Cameræ prædictæ Præsidentes Clericos, aliosque Officiales, & Ministros, & cæteros quolibet quacumque auctoritate, & potestate fungentes, quocumque functuros, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula  
præservati-  
væ.

Contentiis  
derogat.

§. 15. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, Nostre, & Cancellariæ Apostolicæ regula de non tollendo jure quæsito, nec non piæ memoriæ Symmachi, quæ incipit, *Non liceat*, & Pauli III. aliorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum de rebus Ecclesiæ, & Cameræ hujusmodi non alienandis, ac similis rec. Pii Papæ IV. Prædecessoris pariter Nostri de gratiis qualescumque interesse dicte Cameræ concernentibus in eadem Camera intra certum tunc expressum tempus præsentandis, & in libris illius registrandis, ita ut præsentis ibidem præsentari, & registrari nunquam necesse sit, aliisque Apostolicis, ac in Conciliis, etiam universalibus, editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, nec non Societatis, & Collegii prædictorum, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Lite-

ris Apostolicis etiam eidem Societati, illisque Præposito Generali, & personis quibuscumque, necnon dicto Collegio, & aliis quibuscumque, etiam speciali, & individua expressione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter insertis, servatis, & expressis respectivè habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. 4. die 22. Feb. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 22. Februarii 1659. Pont. Nostri anno quarto.

LVII. Nonnullæ ordinationes pro Collegio Apostolico minorum Pœnitentiariorum Sacræ Domus Lauretanæ.

Edita A. D. 1659. ALEXANDER PAPA VII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

**E**X commissi Nobis divinitus sacrosancti Apostolatus officii debito, gregi Dominico sollicitis studiis jugiter invigilantes, nonnulla circa Collegium Apostolicum Pœnitentiariorum (ut vocant) minorum Sacræ Domus Lauretanæ, dudum pro dilectis filiis Presbyteris regularibus Societatis JESU in Civitate Nostra Lauretana auctoritate Apostolica institutum constituenda, seu declaranda esse duximus, quæ Christi fidelium ex omnibus Christiani Orbis partibus ad eandem Sacram Domum pia devotione confluentium animarum saluti conducibilia fore in Domino speramus.

Minorum Pœnitentiariorum numerus pro variis linguis.

§. 1. Motu itaque proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine, ut prædicta Societas Jesu in Collegio Apostolico hujusmodi undeviginti Societatis Presbyteros regulares, comprehenso in illis ejusdem Collegii Rectore, ex quibus unus pro Gallica, unus pro Hispanica, unus pro Germanica, unus pro Belgica, unus pro Polonica, unus pro Anglica, unus pro Illyrica, & unus pro Græca, cæteri verò pro Italica nationibus, seu linguis minores Pœnitentiariorum prædictæ Sacræ Domus Lauretanæ respectivè deputentur, quique omnes, & singuli sacramentales Christi fidelium (scilicet propriæ quisque nationis primùm, & his non extantibus, aliorum etiam quando casus contigerit, quorum idiomata calleant) confessiones in Ecclesia Lauretana, in qua memorata Sacra Domus existit, diligenter audire, & ad id præstò esse, cæteraque officium Minorum Pœnitentiariorum hujusmodi concernentia sedulò exercere debeant (Rectore Collegii excepto, nam ille, cum ejus officii causa multoties legitime sit impeditus, huic muneri prout secundum propriam conscientiam poterit, satisfaciatur) perpetuò habere, & manutenere debeat, & teneatur, tenore præsentium statuimus, & ordinamus.

§. 2. Declarantes, & decernentes, quòd unus quisque illorum, qui ex prædictis Presbyteris Regularibus pro supra expressis nationibus, seu linguis minores Pœnitentiariorum dictæ Sacræ Domus respectivè deputabuntur, ex illa natione, pro qua deputabitur, verè, & realiter esse, ipsiusque nationis idioma optimè callere debeat: quòdque qui in regionibus earumdem nationum respectivè nati, & educati non sint, sub quocumque prætextu, etiam si idiomatis nationis, pro qua deputari prætenderentur, peritissimi forent, ad minorum Pœnitentiariorum hujusmodi officia assumi minimè valeant, exceptis tamen Italis, quos pro majore parte sufficiat in Italia natos, & educatos esse, ceteros verò in ea diu permanisse atque Italicum idioma optimè callere, quinimò alios etiam prædictos qui pro nationibus præfatis eligentur, eandem Italicam linguam, & aliquos ex eis etiam Lusitanam, & Hungaricam edoctos esse curandum erit, ut Italarum quoque, Lusitanorum, & Hungarorum, si quando opus fuerit, confessiones audire, atque alios in eodem munere coadjuvare valeant.

Verè Nationes sint Pœnitentiariorum.

§. 3. Quòd si propter mortem, infirmitatem, remotionem, aliudve quodvis impedimentum alicujus ex prædictis minoribus Pœnitentiariorum pro tempore deputatis oportuerit alium in ejus locum ad exercitium officii minoris Pœnitentiariorum tantisper subrogari; eo casu alterum ejusdem cum illo nationis, si haberi idoneus possit, sin minus, alium alterius quidem nationis, sed qui idiomatis nationis, ex qua defunctus, infirmus, remotus, vel aliàs impeditus fuerit, peritus existat, substitui volumus: ita tamen, ut sic substituendus ante omnia, prævio examine, ut infra, faciendo, approbetur, & per modum provisionis pro eo tempore dumtaxat, quo durabit infirmitas, vel impedimentum infirmi, vel impediti, seu donec defuncto, vel remoto successor fuerit constitutus, deputetur, & subrogetur.

Quomodo in casu impedimenti sint subrogandi.

§. 4. Porò electionem Rectoris, cæterorumque minorum Pœnitentiariorum prædicti Collegii Apostolici & Fratrum, Filiorumque inferventium dilecto filio nunc, & pro tempore existenti Præposito Generali memoratæ Societatis tribuimus: Statuentes, ut ab eodem Præposito Generali pro tempore electi non ante ad exercitium officii minorum Pœnitentiariorum hujusmodi admittantur, quàm circa materias ad idem officium spectantes in Signatura Pœnitentiariæ Apostolicæ, vel si ad Almam Urbem Nostram sine gravi incommodo, & expensis accedere non possint, coram aliquo ex Venerab. Fratribus Episcopis supra dictæ Domus Lauretanæ vicinis per dilectum filium nostrum Nicolaum tituli S. Mariæ Angelorum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Ludovisium nuncupatum modernum, & pro tempore existentem majorem Pœnitentiariorum in singulis casibus ad hunc actum specialiter delegando, prout ipsi Nicolao Cardinali moderno, & pro tempore existenti majori Pœnitentiariorum videbitur, & hætenus juxta Constitut. fel. recor. Urbani Papæ VIII. Prædecessoris Nostri die 20. Junii 1636. in simili forma Brevis promulgatæ, quæ incipit, Attendentes universo Gregi &c. dispositionem servatum fuit, & examinati, & approbati fuerint. Et si quando contigerit, quempiam ad modicum tempus ob justam supervenientem causam in locum alicujus ex dictis minoribus Pœnitentiariorum deficientis, vel impediti, sicut præmittitur, subrogandum esse, tunc pariter illius examen coram aliquo ex vicinis Episcopis prædictis per memoratum Nicolaum Cardinalem modernum, & pro tempore existentem majorem Pœnitentiariorum pro hujusmodi tantùm contingentibus provisionibus de præsentibus, seu antecedenter delegando præcedere debeat.

Electio Rectoris, & Pœnitentiariorum Generali relectatur.

§. 5. Cæterum illi, qui semel in dicta Signatu-